

PRÆFATIO
 In
 COMMENTATIONEM INAUGURALEM
 De
 Executoribus Ultimorum
 Voluntatum.

Morientium suprema voluntatis priscis Romanorum temporibus non una duntaxat formula innotuit. Duo testamentorum genera primum in usu fuere, accessit deinceps & tertium, §. 1. *Instit. de Testam. Ord.* Primum & antiquissimum calatis, hoc est, convocatis Comitibus conditum fuit; A. Gell. 15. *noct.* 27. nam quasi lex aliqua ferenda esset, sic convocato per cornicinem populo testatores palam, universo populo præsente, & veluti teste, ultimam suam voluntatem exposuerunt, eamque Quiritibus commendarunt. Hinc putat Federicus Scotus, JC. & Vici Lælii Comarchus, ac beneficiarius Sarmatus, *tom. 1. lib. 4. rest.* 26. *num.* 29. testamentariorum executorum defluxisse usum, idque à nemine, etiam illorum, qui integris voluminibus hujusmodi argumentum egerunt, animadversum, sibi primum videri inquit. Habet hæc conjectura probabilitatem aliquam. Quorsum enim tunc populi præsencia, cum testamentum condendum, nisi ut illius deinceps auspiciis voluntas inibi declarata conservaretur, atque exitum ac executionem haberet. Sed postquam illa testandi consuetudo, ac cum ea populi super illius executione patrocinium, in defuetudinem abiisset, de aliis executoribus anxii testatores cogitaverunt. Erant quidem contra heredem exequi cunctantem parata cogendi remedia, de quibus Johannes Jacobus de Canibus, Patavinus S. Palatii Lateranensis Comes, *tract. de ult. volunt. Exec. part. 1. §. 1. & seqq.* & Dn. Davides Mævius *ad Jus Lubec. part. 2. tit. 1. artic. 15. num. 1. & seqq.* & sæpe pœnam contumacibus testatores dictaverunt. vid. Janus Gruterus *Inscript. Rom. Corpore absolutissimo, cap. 17.* ac contra ipsorum avaritiam non tamen his provisionibus adhuc plene fuerat consultum, uti loquitur Joh. Jac. de Canibus *d. l. num. 3.* Temerabat enim heredum fidem lucri majoris sacra fames, qua correpti relictis defunctorum ex asse inhiarunt; varias idcirco fraudes machinati, quibus mandata testatorum suppresserunt, ne qua parte hereditatem

B

tem